

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Minerva, sive de causis latinae linguae commentarius**

**Sánchez, Francisco  
Schoppe, Caspar  
Perizonius, Jacobus  
Franequera, 1687**

Objectio quinta

[urn:nbn:de:bsz:31-109138](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109138)

*non colloquis, sed stylo.* 647

tu mihi stultorum turbam objicis, qui Latine loquentes colunt & admirantur; ego tibi contra doctissimorum judicium & consensum opponam, qui hujusmodi pestem, sive loquentiam averfantur. Expende diligenter cap. 84. Suetonii in Augusto.

*Cicero lib. 2. de Oratore, de exercitatione agens, sic inquit:*

**S**ed plerique in hoc vocem modo, neque jam scienter, & vires exercent suas, & linguæ celeritatem incitant, verborumque frequentia delectantur. In quo fallit eos quod audierunt: Dicendo homines, ut dicant, efficere solere. Verè enim etiam illud dicitur: Perverse dicere homines perversè dicendo facillimè consequi: & statim; Caput autem est, quod, ut verè dicam, minimè facimus, (est enim magni laboris, quem plerique fugimus,) quam plurimum scribere. Stylus optimus & præstantissimus dicendi effector ac magister.

*Quintilianus libro 1. cap. 1.* Ante omnia ne sit vitiosus sermo nutricibus. Has primùm audiet puer, harum verba effingere imitando conabitur. Et naturâ tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus annis percipimus: ut sapor, quo nova imbuimus, durat: neque lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt. Et hæc ipsa magis pertinaciter hærent, quæ deteriora sunt. Nam bona facilè mutantur in pejus: nunc quando in bonum verteris vitia? Non assuescat ergo, ne dum infans quidem est, sermoni qui descendus sit.